

126. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ. Neg.* Obligatio enim chori, licet gravis sit pro Communitate, levis reputatur pro singulis privatis, modo tamen chorus de medio non tollatur. Ad chorum autem sufficiunt quatuor expediti, seu validi et liberi, ad cantum sustinendum. Ab obligatione vero levi choro interveniendi, causa mediocris excusare potest. *S. Lig. n. 141.*

127. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ. Controvertitur.* Prima sententia dicit, talem Religiosum non satisfacere obligationi suæ, quia non communicat cum aliis canentibus, vel alta voce recitantibus. Secunda vero sententia *valde probabilis*, et *communior* juxta *S. Lig.*, affirmat. Ratio est, quia, ad satisfaciendum Officio in choro, non est necesse ut quisque audiat omnes voces alterius partis; unaquæque enim pars cum alia unum corpus constituit, et mutuo communicat. Secus tamen dicendum est de Canonicis, Officium in choro submisce recitantibus. Ratio discriminis est, quia distributiones debentur solum iis qui choro inserviunt; ministerium autem chori in eo consistit, ut Canonici conveniant ad Officium psallendum. Ergo qui non psallunt non possunt dici choro inservire. *S. Lig. l. 3, n. 673; et l. 4, n. 163.*

## CASUS XX.

## OBLIGATIO DIVINI OFFICII.

*Ratione Religionis 2<sup>o</sup>.*

DELPHINUS, Monialium Confessarius in Gallia, facillime a peccato gravi excusat Religiosas non solum choro non assistentes, sed etiam alias Officium privatim omittentes, licet ad Ordinem choro addictum pertineant. Etenim, ait, cum in Gallia, aspectis præsentibus circumstantiis, Moniales vota solemnia non emittant, non urgendæ sunt obligatione Officii, quæ ex solemnibus Professione tantum oritur. *A fortiori*, ab obligatione gravi liberat Moniales quæ Officium Beatæ Virginis tantum recitant.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An Moniales in Gallia ad Officium divinum teneantur?*

2<sup>o</sup> *An Moniales quæ Officium B. Virginis tantum recitant, ad illud sub gravi adstringantur?*

SOLUTIO :

128. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ. Neg.*, probabilius *per se*, generatim loquendo, seu ratione legis ecclesiasticæ, nisi forte constitutionibus proprii Ordinis ad id adstringantur. Ratio est, quia, aspectis præsentium rerum adjunctis, non habentur ut Moniales proprie dictæ. Ecclesia autem non censetur velle tantam obligationem imponere iis mulieribus, quas ut strictissime Religiosas non agnoscit. Constat enim ex resp. *S. Penit.* ad Episcopum Petrocorensem, die 26 Nov. 1852. Sed in praxi expedit ut cum iis hac de re quæstio non moveatur, licet Superiores et Confessarii, hac doctrina cognita facilius cum privatis dispensare, vel scrupulos circa recitationem sedare possint. — *V. Comp. n. 182.*

129. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ. Affirm.* si sint Moniales *strictè* tales, ut Reli-

giosæ a Visitatione, quæ extra Galliam et in Sabaudia sunt Religiosæ *strictissime* dictæ, quia Officium illud, loco majoris Officii Romani, ipsis substitutum est. Insuper sunt ad chorum destinatæ, et materia est in se gravis. Sunt tamen Moniales quæ Officium illud B. M. Virginis recitant absque alia obligatione quam regulæ, v. g. Religiosæ dictæ a *Domina nostra (de Notre-Dame)*, quæ non sunt proprie ad chorum destinatæ.

## CASUS XXI.

DISPENSATIO IN VOTIS RELIGIOSIS 1<sup>o</sup>.

CLARA, abhorrens a statu cælibatus, hæret primum inter matrimonium et Religionem. Hanc eligit, et ingreditur Congregationem in qua simplicia vota, sed perpetua emittuntur. Elapsis autem pluribus annis, urgente infirma valetudine, aliave gravi causa, Episcopo approbante et super tria vota consueta Religionis dispensante, e conventu dimittitur. Redux ad sæculum, CLARA statim ad nuptias sibi oblatas convolat.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An Episcopus dispensare possit a votis simplicibus in Religione emissis?*

2<sup>o</sup> *An possit solvere vinculum Religionis cum omnibus Monialibus in Gallia, in præsentium rerum statu?*

3<sup>o</sup> *An possit solvere a voto simplici castitatis, quoties a voto paupertatis et obedientiæ dispensare valet?*

4<sup>o</sup> *Quid specialiter in casu?*

SOLUTIO :

130. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Distinguendum est. Episcopus non potest *per se*, seu absque delegatione generali, vel speciali, dispensare in votis religiosis, licet simplicibus, si Ordo sit ab ipso independens, seu si approbatus sit ab ipso Summo Pontifice. Sunt enim Ordines in quibus vota tantum simplicia emittuntur, et tamen ab Episcopo independentia, ut sunt v. g. Religiosi vulgo nuncupati : *Fratres a Doctrina christiana*. Secus vero, si Ordo sive Congregatio ab Episcopo solo pendeat, ut patet.

131. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ. Affirm.* Ratio est, quia Moniales, ut existunt nunc in Gallia, non emittunt vota solemnia, nec agnoscuntur ut Religiosæ *strictissime* dictæ, et eo ipso subjiciuntur Episcopo, qui tanquam delegatus apostolicus cum iis dispensare potest. Constat ex responsis S. Sedis, præsertim ex responsione *S. Penit.* ad *Illustriss. D. Bowvier*, Episcopum Cenomanensem, die 2<sup>a</sup> Jan. 1836. — *V. Comp. n. 180.*

132. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* Res non adeo perspicua est. Ratio negandi esse potest : 1<sup>o</sup> quia votum perpetuæ castitatis est Papæ reservatum, et remanere potest, vinculo Religionis dissoluto; 2<sup>o</sup> quia de facto communiter Episcopi pro eo solvendo ad S. Sedem recurrunt; 3<sup>o</sup> quia sequi videtur ex responsione *S. Penit.* ad *DD. Bowvier*. Etenim, cum postulasset a S. Congreg. utrum Episcopi in Gallia possint dispensare Moniales a voto

paupertatis et obedientiæ, remanente voto castitatis, eadem *S. Congreg.* respondit : *Affirmative.*

Ratio autem affirmandi minime spernenda est : 1° Quia votum castitatis in Religione emissum est *per se* conditionatum, saltem *implicite*, scilicet, in hypothesi quod vovens perseveret in suo Ordine; vovet enim in Religione et propter Religionem. Ergo non censetur velle ut votum perduret extra Religionem, si forte vovens in ea non perseveret; atqui vota conditionata non sunt reservata Papæ : ergo votum præsens castitatis ab Episcopo solvi potest. 2° Quia votum illud non fuit emissum ob solum amorem virtutis; quod tamen ad reservationem requiritur. Etenim vovens in Religione, vovet præcipue ob amorem Religionis, et emittit votum castitatis *per concomitantiam* cum aliis votis religiosis : ergo eo ipso votum illud non est *per se* Summo Pontifici reservatum. 3° Insuper non probat ratio negandi ex responsione *S. Congreg.* deducta. Etenim responsio illa est affirmativa circa id quod postulatur : ergo non est exclusiva, nec extendenda ad votum castitatis, de quo non fiebat quæstio, et de quo, more romano, *S. Congreg.* respondere non censetur.

133. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst.* Stante casu, ut jacet, CLARA absque difficultate dispensari potest ab Episcopo, etiam a voto castitatis. Etenim in hypothesi emisit votum certo conditionatum, siquidem a cælibatu in sæculo abhorrebat. Vovit igitur pro sola Religione, et, nisi liberaretur a voto extra Religionem, hac de causa cogeret remanere in cælibatu a quo fuit semper aliena. Ergo CLARA potuit licite matrimonium inire ex sola Episcopi dispensatione.

## CASUS XXII.

### DISPENSATIO IN VOTIS RELIGIOSIS 2°.

DELPHINA, puella, ut animæ saluti consulat, ingreditur Congregationem, in qua vota simplicia perpetua emittuntur, et quæ constat variis cœnobiis in varias diœceses distributis, sub regimine non solum Superiorissæ generalis, sed etiam Episcopi loci, ubi præcipuus conventus consistit, velut summi Superioris totius Ordinis. DELPHINA, peracto novitiatus tempore, emissisque tribus votis in Ordine consuetis, in aliam ejusdem Congregationis familiam extra diœcesim mittitur. Paucis autem post annis, urgente gravi causa, cupit a votis dispensari, et ad sæculum redire. Verum nescit a quo Superiore petenda sit dispensatio. Varii Sacerdotes, hac de re interrogati, in varias abeunt sententias. Alius dicit, hanc dispensationem ab Episcopo diœcesis requirendam esse; alius tenet, adeundum esse Episcopum, totius Ordinis Superiorem; alius vero declarat, ad *S. Sedem* esse recurrendum. Quare DELPHINÆ dubium minime solvitur.

HINC :

QUÆR. An, in casu, adeundus sit Superior generalis? vel Summus Pontifex? aut sufficiat Episcopi loci facultas?

SOLUTIO :

134. — *R. 1°* Non potest adiri Episcopus, Superior generalis, quia nulla gaudet jurisdictione extra diœcesim suam, nisi eam specialiter a *S. Sede*

obtinuerit. Sed *S. Sedes* hujusmodi jurisdictionem minime concedere solet, ut sæpius declaratum est a *S. Cong. Episc. et Regularium* (1).

135. — *R. 2°* Neque adiri potest Episcopus diœcesis, si Congregatio fuerit recognita a *S. Sede*, id est, ejus statuta a Romano Pontifice, vel a Sacra Congregatione ejus nomine, approbata fuerint. Tunc vota, licet simplicia, sunt eo ipso Papæ reservata, et jurisdictioni Episcoporum subtrahuntur. Licet enim Episcopi sint delegati *S. Sedis* ad conventus Monialium dirigendos, in earum votis dispensare nequeunt, nisi specialem facultatem ad id obtinuerint. Hac de re constat ex Decisionibus bene multis *S. Congregationis*, quæ, approbando regulas alicujus Ordinis, hanc clausulam apponere solet : « Dispensatio votorum, quæ in hujusmodi Institutis emittuntur, ad Apostolicam Sedem spectat. » Vide *Analecta Juris Pontificii*, t. 5, p. 66, 68, 508, 510, 926, 1051, 1052, 1053, 1054, etc., etc.

Facta quidem est specialis facultas Episcopis Galliæ et Belgii, ut dispensare valerent in votis pro Communitatibus in quibus olim vota solemnia emittebantur. Sed hæc facultas non est extendenda ad vota simplicia quæ in recentibus Congregationibus emittuntur (2).

(1) « Afin de sauvegarder la juridiction de tous les Evêques qui ont des établissements (de Religieuses) dans leurs diocèses, le Saint-Siège n'admet pas que l'Evêque du diocèse où est la maison-mère soit le Supérieur général de toute la Congrégation. L'inconvénient serait le même, si l'Ordinaire de la maison-mère nommait un Supérieur général. D'ailleurs sur quel fondement reposerait la juridiction de ce Supérieur général? Un évêque n'ayant pas de juridiction hors de son diocèse, ne peut accorder aucun pouvoir au Supérieur général sur les établissements situés dans les autres diocèses. Il n'y a que le Saint-Siège qui pourrait établir un Supérieur général, et personne autre ne le peut. C'est ce qui résulte de la lettre suivante adressée par la *S. Cong.* à un Prélat qui, après avoir reçu des observations dans le sens précité, ne s'empessait pas de retirer le Supérieur général qu'il avait donné à un institut, longtemps avant que l'on ne s'adressât au Saint-Siège, pour l'examen des constitutions :

« Episcopo N... Non latet amplitudinem tuam, eam esse Apostolicæ Sedis praxim, ut « Episcopis diœcesum, in quibus domus princeps piarum Congregationum mulierum reperiuntur, nulla tribuatur jurisdictione in domos quæ extra suas diœceses exstant, cum salva « in omnibus remanere debeat cujusque Ordinarii auctoritas ad præscriptum sacrorum « Canonum, et apostolicarum Constitutionum. Quæ cum ita sint, munus Superioris generalis instituti N., cujus domus princeps in tua diœcesi sita est, minime servari poterit. « Cum igitur Superior ipse ab Apostolica Sede nullam obtinuerit auctoritatem in Institutum, nec ab aliis ei concedi poterat, a dicto munere exercendo se abstinere debet. » *Analecta Juris Pontificii*, t. 5, p. 924-925.

Confirmatur hæc doctrina variis Decisionibus *S. Cong.* : v. g., sic in animadversione relative ad institutum N. :

« Non solet Apostolica Sedes approbare quod aliquis Episcopus sit Superior generali « instituti Sororum quæ in diversis diœcesibus reperiuntur; quapropter omnia quæ respiciunt hanc superioritatem et Superiorem generalem ab Episcopo deputandum, suppressa erunt. » V. *Analecta Juris Pontificii*, t. 5, p. 508-510, et multoties alibi passim, v. g. p. 924-1051.

(2) Sic *Analecta Juris Pontificii*, t. 5, p. 1051 :

« Nous avons publié plusieurs instructions émanées de la *S. Cong.* des Evêques et « des Réguliers, relativement aux Instituts modernes, où l'on professe les vœux simples « sous l'autorité d'une Supérieure générale. On peut voir nos livraisons 38, 42, 45. Aujourd'hui nous sommes en mesure de publier plusieurs instructions du même genre « transmises pendant l'année 1860 aux Congrégations qui ont obtenu du Saint-Siège soit « le décret d'éloge, soit l'approbation formelle.

« Elles confirment pleinement ce que l'on a pu remarquer dans les précédentes. Une

136. — *R.* 3<sup>o</sup> Adiri debet Episcopus diœcesis, si vota DELPHINÆ sint emissa in Congregatione a S. Sede non recognita, vel laudata, sed a solo Episcopo approbata, quia ipse harum piarum Congregationum est proprius Superior. Igitur, antequam dirimatur controversia de dispensatione a DELPHINA requirenda, rescindendum est cujus conditionis sit Institutum ad quod pertinet, utrum nempe a S. Sede approbatum fuerit, necne.

137. — Contendit auctor operis mox citati, *Analecta*, etc., nullas Congregationes, licet vota simplicia tantum, vel etiam nulla emittant, ab Episcopo institui et approbari posse, et proinde vota, si quæ sint, nullius esse valoris, donec istæ Congregationes a S. Sede approbatæ fuerint. Ad hoc confirmandum varia refert Decreta SS. Pontificum, nempe, JOANNIS XXII et S. PII V. Verum non adeo constat quod his Decretis successu temporis, contraria consuetudine tolerata, derogatum non fuerit, sicut in variis Ecclesiæ legibus factum est. Exstant enim de facto Congregationes non paucæ, nostris temporibus, præsertim piarum mulierum, approbatione Pontificia destitutæ. Cæterum pleræque hujusmodi religiosæ familiæ quæ, paucis abhinc annis, a Romano Pontifice approbatæ sunt, diuturno tempore existerunt antequam Decreto S. Sedis sancirentur. — *V. Anallecta Juris Pontificii*, t. 5, a pag. 55 ad pag. 62.

## CASUS XXIII.

DISPENSATIO IN VOTIS RELIGIOSIS 3<sup>o</sup>.

ZOZIMO, Sacerdoti regulari, dum exercitia spiritualia in quadam Monialium communitate traderet, inter alias penitentes occurrit AGATHA, Novitia, quæ, inscio Confessario, nec monita Superiorissa, votis privatis Religionis se obstrinxerat, et postea, tædio vitæ religiosæ affecta, de facto lugebat. Ut miseræ opem ferat ZOZIMUS, privilegio Regularibus concessio vota scilicet simplicia, nec Papæ reservata, commutandi utitur, ut vinculum religiosum, quo se ligaverat AGATHA, remanente tamen voto castitatis, dissolvat, et eam in pace dimittat.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> An ZOZIMUS Regularis, vi privilegiorum, vota Religionis privata a Novitia emissa commutare potuerit?

« des plus remarquables, c'est celle qui énonce si fréquemment que la dispense des vœux est réservée au Saint-Siège par rapport aux Instituts dont il s'agit. C'est ce que la Congrégation enseigne constamment, qu'il s'agisse de l'Europe ou de l'Amérique, de l'Allemagne, de la Belgique ou de la France. En effet, des vœux simples faits dans des Instituts religieux ne peuvent être brisés sans préjudice d'un tiers : et ce tiers, c'est la Communauté qui contracte avec le sujet. Ces vœux constituent le Religieux dans un état public qui est reconnu par l'Eglise. On ne saurait les assimiler aux vœux de conscience, dont les Ordinaires des lieux dispensent. C'est pourquoi le Saint-Siège se réserve la dispense des vœux émis dans les Instituts en question. Nous avons parlé des facultés spéciales qui furent accordées à la France et à la Belgique par rapport aux vœux prononcés dans les Communautés qui, avant la Révolution, professaient des vœux solennels ; ces facultés spéciales, avons-nous dit, ne s'étendent pas aux vœux simples que l'on professe dans les nouvelles Congrégations, car les documents que nous publions n'omettent jamais d'énoncer que la dispense des vœux est réservée au Saint-Siège. »

2<sup>o</sup> Quid, si hæc vota de consensu Confessarii ordinarii, vel Superiorissæ, facta fuerint?

SOLUTIO :

138. — *R.* ad 1<sup>m</sup> Quærs. *Afirm.* Ratio est, quia hæc vota sunt simplicia tantum, neque reservata sunt, neque vinculum Religionis proprie constituunt. Nullum enim jus tertii sive Superioris sive Communitatis violavit cum hæc vota a Superioribus acceptata non fuerint ut vota vere religiosa, quæ publice fiunt, aut a Superiore acceptantur.

139. — *R.* ad 2<sup>m</sup> Quærs. Idem prorsus dicendum ac in casu præcedenti. Approbatio enim privata Confessarii, vel Superiorissæ, non impedit quin vota hæc omnino privata sint. Non accipiuntur ut vota religiosa, sed simpliciter ut privata permittuntur, et ex parte voventis, devotionis gratia aut ad virtutis exercitium meritumve majus, emittuntur. Ergo a Sacerdote quolibet, ad vota simplicia dispensanda delegato, dispensari possunt.

## CASUS XXIV.

DISPENSATIO IN VOTIS RELIGIOSIS 4<sup>o</sup>.

PATERNUS, Sacerdos regularis, confessionem BARBARÆ, sæcularis puellæ, excipiens, audit eam votum ingrediendi Religionem emisisse, nec habere nunc requiem donec ab eo solvatur, ut favorabiles nuptias sibi propositas acceptet, et gravissimis tentationibus contra castitatem viam præcludat. Re mature perpensa, existimavit Confessarius se posse valide et licite mulieri succurrere, illiusque votum in aliud pium opus commutavit. Postea vero, anxius quæsivit utrum recte egerit?

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> An PATERNUS commutare potuerit votum ingrediendi Religionem a BARBARA emissum?

2<sup>o</sup> Quid, si in Gallia fiat ; seu, an votum ingrediendi monasterium Monialium sit reservatum in Gallia?

SOLUTIO :

140. — *R.* ad 1<sup>m</sup> Quærs. *Nego per se.* Ratio est, quia votum illud est Summo Pontifici reservatum, et ne Episcopus quidem ab eo dispensare potest. Attamen attendendum est ad Ordinem seu Communitatem a BARBARA intentam. Etenim, si Communitas illa non sit Religio proprie dicta, seu in qua vota solemnna emittuntur, absque difficultate a PATERNO votum illud solvi poterit, quia per Religionem intelligitur Religio proprie dicta, seu in qua Religiosi solemniter profitentur.

*R.* ad 2<sup>m</sup> Quærs. *Nego,* aspectis præsentibus circumstantiis. Ratio est, quia, uti jam diximus, Moniales nunc in Gallia existentes non habentur ut Religiosæ in stricto sensu, cum vota solemnna non emittant. Ergo votum ingrediendi in hujusmodi Religionem, non est reservatum ; ergo a Regulari aut ab alio delegato quocumque solvi potest.